INFANTI NAZARENÆ

INSTAR HORTI VOLVPTATIS EXCEPTAE

IN COLLEG. NAZARENO CLER. REG. PAVP. MATRIS DEI SCHOL. PIARVM

Ode Genethliaca cum Epigrammate.

EMINENTISS. AC REVERENDISS. D.

GASPARI CARPINEO

S. R. E. CARDINALI,

ET SANCTISS. D. N. PAPAE

VICARIO, AC DATARIO

NVNCVPATA.

ROMAE, Typis Pauli Monetæ. MDCLXXIV.

Superiorum permissu.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.

I. de Angelis Archiep. Vrbin. Vicesg.

Imprimatur:

Fr. Raymundus Capisuccus Sac. Pal. Apost. Mag. Ord. Prædicatorum.

GASPARI CARPINEO

Purpurato Nobilitate, Dignitate, ac Meritis
Eminentissimo;
Qui
Primos Honorum gradus ità emensus est,
Vt, spectabili edito immensi animi specimine,
Facilè summos attigerit;
Dùm,
Liliaca semper integritate,
E' VIOLA IN ROSAM
Visus est conuerti:
Vnde meritis, & sanguine
CLEMENTI X.
Proximos Honores occupat
VICARIVS, & DATARIVS.
Tam florido, & culto Heroi
FLORIDVM VOLVPTATIS HORTVM
NAZARENAE VIRGINIS CREPVNDIA
Inculti Academici
D.

Spectator ne mirere Hoc obsequij monimentum

Heroi vrbanissimo positum :
Ne ab Horto in exorta Virgine
Flores inscriptos nomine regū carpēdos ambigeres;
GASPAREM CARPINEVM arcessimus Tutelarem .
Nec Purpuratum Heroem, Vrbis delicias
Voluptatis Horti dedecet Præsidium ;
Cum maximos Heroas orbis Dominos nō puduerit
Hortorum colonos, nedùm incolas haberi .
Inter vrbanos tumultus suburbanam tranquillitatē
Probant, optant probi Optimates ;
Qui non tam Regum, quàm cultorum
Omina ostentant, & nomina .
Vrbana enim est hæc suburbanitas :
Christus idem non tā Campi Florem, quā Olitorē
Rediuiuus se præbuit spectandum :
Rustica suburbia vrbiū, & vrbanor. hominū delicias
Quis ignorat ?
Plato, & Democritus,
Cyrus, & Alcinous
Nullibi maiores, quàm in Horto .
Hospes
Pari consilio vtere de GASPARE CARPINEO ;
CVIVS OLIM IN ROM AREOPAGO ADSCRIPTI
Sicut Humanissimam experti sumus Tutelam ;
Nunc quoq. in Horto Virgineo experimur cliētelā.
Id ab re factum ne rere .
Vt genethliacas fascias paremus MARIAE ;
CAR-

CARPINEAS
Poſtulamus, & præſtolamur:
Quæ ALTERIIS SYDERIBVS,
Tanquam baltheus aſtrifer, ac zonæ cæleſtes,
Pro faſcijs Infantem amictam Sole non dedecent;
Vt, quæ
Candore notabiles candicãt,& lacteũ orbẽ vincũt,
Infantem Innocentiæ candidatam aptè vinciãt.
Illa TANQVAM HORTVS VOLVPTATIS orta
Suas inde ſcepes mutuatur,
Vt ſepiat, muniat, & ornet Horti amænitates:
Seu
Carpineas faſcias pro aromatum areolis,
Et florum aris aſciſcit genethliacas.
Vel
Quòd flores Honoris,& Honeſtatis educet Virgo,
Ad collectos eorũ faſciculos honeſtè colligãdos,
Faſcias sũmos Honorũ omniũ Faſces colligaturas
Exigit ad cunas.
Ieſſea Sponſa
Ne Dilectum ad Hortum ſuum vocatum dimittat,
Carpineis faſcijs tenebit.
Siue
Cũ ex floribus Horti ſui aſſuat æternitati Corollas,
Vittas & phyliras, quibus inſuat,
Eaſdem habet Zonas:
Hunc

Grauioribus, & diuturnis Curiæ,
Christianæq. Reipublicæ curis oneratum
Non dedecet paulū Virginei Horti delicijs leuari.
Hinc
Heroi florentissimo;
Mœcenati Humanissimo
Hoc obsequentis animi monimentum
D. D. D.
Academici Inculti.

O D E.

LIs est Amorum feruida iurgijs.
Adeste Pimplæ numina. Cælitis
In Cyprium sunt hæc vibrata
Ludibrijs onerata Numen.

Non solum Hortis Vere comantibus
Insane diues vixeris: æmula
In patrio regno nitebunt
Elysijs quoque nostra Tempe.

Nec me lacessit cura procacium,
Et luridorum sanguine graminum:
Amœnitatum non Napeæ
Vellicat Idaliæ cupido.

Tu floris atri cultor, & arbiter:
Tu funerato ſanguine viuidos
Colore fœtus; tu mephitim
Cæce ſinis redolere germen:

Caſtæ voluptas, ſcilicet, auia
Menti improbandis ſordet odoribus:
Colorque fucatus cruore,
Exanimi citò languet aurà.

Non eſt amænis aptus honoribus
Flos impudico ſanguine diſcolor;
Fænuſque non auget voluptas;
Funus vbi Lybitina cenſet.

Tu, nempe, campos funere feruidos,
Procax Cupido, per Paphias plagas;
Per Cyprias, quà ſe Cytheron
Tollit, Acidaliuſque iactas.

Proh quæ voluptas! turba cadauerum
Perfrondet Hortos! ſiccine deuiat
Mens? parco. cæcutis; nec Horti
Quale decus tibi ſtulte cernis.

Roſas Parentis ſanguine tabidas,
Et funerati Germen Adonidis
(Apro fuit lictore dignus)
Delicium malè ſane cenſes,

Narciſſus atræ pignus inertiæ:
Te flos Amyclà cretus: Amaracus,
Iuuatque tabentis peroſa
Flos Clytiæ ſpeculantis aſtra;

Proh cultor Horti funere diuitis!
Veſpillo tanti iure cadaueris
Dicère, per me; non amæni
Hoſpes eris celebrandus Horti.

Vah quæ voluptas! flos breuior die;
Campique pleni fœnore vepreo,
Quorum per herbas tortuosum
Agglomerant colubri volumen.

O nauseandæ gramina Chloridis!
Quæ non secundo perluit alueo
Riuus, nec imber; sed cerastæ
Rictibus inficiunt trisulcis.

Non inuidendo, credito, gramine
Cupido, vernant ambitiosiùs
Horti superlati; voluptas
Hospitibus tamen apta fœdis.

Comas procacis serta Cupidinis
Decent procaci gramine prædita:
Spinisque curarum prementem
Arua decent metuenda spinis:

Plaſ

Ploranda quantùm turba ſequacium
Tui; capillos quæ petulantium
Florum corymbis impedita eſt,
Vindicibus dolitura dumis.

Effer tuorùm munera graminum,
Superbe; campos effer: amænitas
Præſtantior quantò colono
Virginei mihi plaudet Horti!

Hæc impudici miſſilis arbitro
Amor pudico miſſile præpotens:
Et iurgijs admuſſitantem
Deſtituit ſine voce fœdum.

Aliſque Cælo creditus ardua
Pulſat ſtrepentum regna tonitruum:
Lætuſque clamat: *Nazarena*
Nata mihi velut Hortus Infans.

Plan-

Plausère moti cardinibus Poli.
Mox differatis cælitùs atrijs,
Campofque præcurrente Amore,
Nazareos Honor, ac Honeftas

Iuère nulli cognita numina.
Ridebat aer quà properantium
Iter ferebatur: voluptas
Atque recens recreabat auras.

Qualis, diurnà quæ niue languit,
Tellus foluto læta Fauonio
Feffum ciet gramen, fupinumque
Euigilat rediuiua cultum,

Iam Nazarenæ Virginis ad fores
Ter forte læti conftiterant Amor,
Cæloque deducti fodales;
Terque fuum dederant triumphum:

Carmelus, Hermon, Amneque feruido
Iordanis, Echo lustra Sionia
Responderant; testique Cliui
Nectareis tepuère riuis.

Mutasse sedem sydera crederes:
Cessisse vernos Erigoni dies:
Infans nitebat sic amæno
Vere genis, oculisque Virgo!

Quirina tanto flore suburbia
Ne crede: cense Mediceos, cane
Burghesios, Pamphilianos,
Enumera Ludouisianos,

Et quotquot hortos Romulus obstupet;
Plus in labello, crine in amabili
Plus est voluptatum Puellæ;
Delicijs minor axis idem;

Quas non ſupinet virgula Tarquinj;
Non cura Cyri; non Topiaria
Corcyra regnet: ſed ſupernus
Delicium colat vnus Auctor.

Plauſit ſagittæ cælitis arbiter
Amænitatum Virginis Hortulo:
Plauſere Honeſtas, Gloriæque
Frater Honor, ſoboleſque certa

Virtutis. Altè dona comantium
Florum ſtupeſcunt. Hinc pharetram ſolo,
Arcumque commendat; rudemque
Sumit Amor faciem coloni:

Certoque ſuetus findere pectora
Ictu, manu non indocili fodit
Hortum ſagittis pro ligone,
Proque ſolo colit vſque Natam.

Creuè-

Creuère florum millia: Gloria,
Mater Pudoris, Gratia, Castitas
Et Innocens vis non tulere;
At fieri voluere flores.

Riuis Honestas, ac Honor educant
Fœtus, fugatis non benè olentibus,
Vt læta tandem *Flore Campi*
Virgo micet velut Hortus orta.

EPIGRAMMA.

LIs erat in Cælis Diuinum agitata Tribunal
Ante, quibus Virgo dotibus orta micet.
Singula Virtutum certabant agmina donis,
Vt fieret compar ędita Virgo ſuis.
Diuus Amor Roſeum quòd præſeferret; itemque
Liliacum optabant Speſque, Pudorque decus.
Optabat ſimilem Cedro Sapientia, Palmæ
Gloria, Pax Oleæ, Gratia vellet Aquis.
Audijt Omnipotens; componat vt illicò lites:
Orta Voluptatis Virgo ſit Hortus: ait.

MC